Nicolaus Heinsius
Constantino Hugenio V. Ill. C.F.
S. P. D.

Sub discessum à nobis tuum cum valetudine negotium mihi satis molestum erat, per quam non licuit te convenire, atque edocere, quid me inter ac Spiringianos heredes super re mihi abs te commissa nuperius esset actum. Breugelianum codicem negant minoris venalem esse, quam Ioachimicis trecentis. Floreni sunt nostrates, ut scis DCCL. quod nisi pretium jam ante oblatum adauxeris luculenta ac-cessione, vix video, quid pro tua expectatione consilii hoc in negotio per me possit. Si complures ex Catalogo tibi ex-hibito selegisses libros, minus fortasse difficultatis objectum foret. De me, Hugeni nobilissime, sic habe, ac certissimum in modum persuasus esto, unice me cupere probatam tibi ut in omnibus, sic isthoc praecipue in negotio, opellam me-am. Vale, et si quid votis ardentissimis possum, cum Magno Principe, re bene gesta, ad Larem paternum mox incolumis redi. Dabantur Hagae Comitum Ao CIↃIↃCLXXIII. a. dic. XXIV. Quinctil.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BUR Q 14
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0526